Catholic Diocese of Hong Kong
香港教區檔案處
ARCHIVES OFFICE

PIUS PP. X.

Dilecte fili salutem et Apticam benedictionem. Apostolatus officium meritis licet imparibus Nobis devinctus commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini divina providentia praesidemus, utiliter eaque adiuvante Domino salagentes, solliciti corde efficimur et solertes, ut quum de Ecclesiarum earundem regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium vacantium et vacaturarum, ordinationi et dispositioni Nostrae reservavimus, decernentes ea tunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Cum vero titularis Episcopalis Ecclesia Taviana sub Archiepiscopo Aneyrano certo modo vacet; Nos ad eiusdem Ecclesiae provisionem, in qua nemo praeter Nos se potest poterit've immiscere, reservatione et decreto supradictis obsistentibus, patrono ac solliciti studio intendentes, post deliberationem quam hac super re cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus delegentium demum ad te, dilecte fili, e legitimis nuptiis progenitum, atque in aetate etiam legitima constitutum, qui eximiis animi ingeniique dotibus amplissime commendaris oculos mentis Nostrae convertimus. Quare te a quibuslibet ecclesiasticis censuris sententiis ac poenis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eandem titularem Ecclesiam Tavianam de persona tua Nobis ac memoratis Cardinalibus ob tuorum praestantiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem consilio Aptica Auctoritate Nostra providemus, teque illi in Episcopum praefecimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem eiusdem Ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in Illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, te omnia ad maiorem Dei gloriam sempiternamque animarum salutem esse capaturum. Tibi vero indulgemus, ut donec praefata Ecclesia inter mere titulares adnumeretur, ad illam accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis. Non obstantibus Constitutionibus et Sanctionibus Apostolicis, ceterisque omnibus etiam specialis et individuae mentionis ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII Julii MDCCCCV. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

PIVS X. PONT. MAX.

Aloys. Card. Macchi